



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1682. usque ad annum 1690

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 90119231

§. 103. Illustrium obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67608)

Sæc. XVII. ticum, specimina Theologiæ Hypotheticæ, systema controversiarum, Authenticam textus Hebraici contra Voffium, Theologiam Judaicam de Messia, præter librum Psalmorum cum notis.

§. CIII.

Illustrium obitus.

Præter Carolum II. Angliæ Regem hoc item anno obiit. I. Marquardus Schenk de Castell Episcopus Eichstettensis, qui Ratisbonæ in comitatu Imperii primarium Cæsaris Legatum egit: Natus erat annos octoginta, successorem habuit Joannem Eucharium Comitem Castellæ in Schelkingen. Pari fato sublatu est Emericus ex Capuccino Episcopus Viennensis, qui ob eximium Religionis studium grave sibi sectariorum odium accersivit: vacantem Ecclesiam Cæsaris nominatione obtinuit Ernestus Comes de Trautson. Emericum eadem mortis necessitate die quarta Novembris sequebatur Albertus Sigismundus Episcopus Frisingensis ac Ratisbonensis, Alberti Bavaricæ Ducis Filius, cui post triginta ferme quatuor annorum regimen in utraque Ecclesia successit Josephus Clemens Ferdinandi Mariæ Electoris Filius: Decesit insuper die decima quinta Maij Heidelbergæ

bergæ Carolus Elector Palatinus, qui, Sæc. XVII.
 cum improlis esset, & nonnisi unicam A. C. 1685.
 Sororem Carolinam Elisabetham olim
 Philippo Aurelianensium Duci nuptam
 reliquisset, ingenti controversiæ de suc-
 cessione ansam præbuit: quippe Electo-
 ratum ambiabant Guilielmus Neoburgi-
 cus, & Leopoldus Ludovicus Palati-
 nus Veldentinus, iste juxta lineam pro-
 prior & hoc anno in successorem decla-
 ratus, hic gradu proximior: prævale-
 bat Neoburgicus, cui favebant Impe-
 rator ipsumque Electorale Collegium,
 relicta vero Soror ab intestato omnia
 petebat bona: obstitit autem Verius
 Franciæ Legatus, qui ad Pontificis ar-
 bitrium provocabat, hujus vero sen-
 tentiæ utpote in Imperii præjudicium
 pronuntiatae stare, renuit Imperator:
 tandem vero Elector Neoburgicus cum
 Ducissa Aurelianensi super allodialibus
 mobilibus de certa pecuniarum summa
 convenit, reclamantibus Gallis. Obie-
 rant denique Regina Daniæ vidua,
 Gustavus Caroli XI. Sueciæ Regis Fi-
 lius, Clara Isabella Sigismundi Fran-
 cisci Archiducis Oenipontani Soror, ac
 Caroli Gonzagæ Mantuæ Ducis uxor
 & Fridericus Augustus Filius pri-
 mogenitus Friderici III.
 Prussiæ Regis.



Bb 2

HISTO-